



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtutes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 16. Circa externum Charitatis affectum, qui est Eleemosyna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

arctior est in patre, quam in filio respectu parentis iuxta illud 2. Corinth. 12. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Sic Valentia 2. 2. disputat. 3. quest. 4. puncto 5.

²³² Praferendi non sunt filij parentibus in ca-
Non sunt su necessitatibus. Quia beneficium à patre acce-
ptum est omnium maximum: siquidem ex illo
esse haufimus. Ergo sicut Deus omnibus præ-
ferendus est, quia nobis contulit esse; ita suo
modo pater omnibus debet præferri. Ita Co-
ninch. d. 25. dub. 6. num. 146.

²³³ Credo parentes semper esse filiis præhaben-
Eiusdem dos. Fatcor, appetitum læpe inclinare magis ad
filiorum amorem, quam parentum: eaque de
causa facilius patrem amare filium, quam è
contra: non tamen inde inferitur, patrem non
esse præferendum: cum Charitas, & inclinatio
naturalis rationalis ad patrem potius, quam ad
filium propendeat. Nec contrarium ex Pauli
testimonio colligitur; solum enim probat, ex-
tra necessitatem filios, præcipue non emanci-
patos esse parentibus præhabendos; quia filiis
sub cura, ac providentia parentum existentibus,
non tenetur pater tum in temporalibus,
tum in spiritualibus providere, & pro maiori
illorum profectu inuigilare. Addo, neque etiã
extra necessitatem in temporalibus teneri fi-
lium, etsi possit, prius aliis filiis providere, quam
parenti; quia providendo parenti providet, &
sibi: cum bona parentis iure hereditatis ad ip-
sum deveniant, & nemo tenetur aliis cum ia-
ctura propriorum bonorum extra necessitatem
occurrere.

DUBIUM XXV.

An filij sint præponendi uxori?

²³⁴ S^unt præponendi. Quia vxor propter filios
gignendos assumitur. Ergo filij sunt uxori
præponendi. Sic Valentia 2. 2. disputat. 3. quest. 4.
puncto 5.

²³⁵ Præponendi non sunt. Quia vxor est filio-
rum principium: & quia marito est intimo
vinculo coniuncta: ergo in necessitate filiis est
præponenda. Ita Suar. d. 9. sect. 4. nu. 5. Bonacin.
d. 3. q. 4. puncto 5. num. 2. Coninch. d. 25. dub. 6. n.
146. & alij.

²³⁶ Cum his probabilis opinor. Neque enim
vixor solum propter filios assumitur, sed ad vi-
tæ solatium, & locietatem. Copula autem est,
quæ propter filios gignendos, vel sedanda ten-
tamina tantum est assumenda. Monuerim au-
tem, inter hos consanguineos adeo stricte iun-
ctos, mortale non esse assignatum ordinem in-
vertere, (si patrem, & matrem excipias extre-
ma necessitate laborantes.) Quia excessus
coniunctionis non est ita gravis: & quia non est
satis constans, qui excedant. Quia ultra vincu-
lum coniunctionis naturalis, addidit benevo-
lentia vinculum. D. Thom. qu. 26. art. 10. Regi-
nald. l. 4. n. 311. Bonacin. disp. 3. q. 4. puncto 5. nu-
mer. 2.

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

DUBIUM XXVI.

An possit quis peccatorem extrema neces-
sitate laborantem iusto eadem affecto
preferre

²³⁷ Non potest. Quia id præcipere videtur
Apostolus ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei.* Id est ad eos qui vere fideles sunt
credendo scilicet, & operando. Ergo iustus ex-
trema affectus necessitate prius est succurren-
dus, quam peccator. Haud igitur potest quis
peccatorem iusto præponere. Sic Coninch. d.
25. dub. 9. n. 142.

Potest quidem. Quia in peccatore est ater-
na damnationis periculum, quod in iusto non
adeft. Ita Bonacin. disputat. 5. question. 4. puncto 5.
num. 3. sine.

Ego quidem existimo, cæteris paribus fide-
lem, & iustum infidelis, ac peccatori esse præfe-
rendum: sicut & magis iustum minus iusto.
Quia in illo genere coniunctionis arctius no-
bis coniunguntur. Cæterum credo, nos posse
(etsi non teneamur) peccatorem temporali
necessitate extrema affectum iusto præpone-
re. Quia in peccatore videtur simul cum cor-
porali necessitate spiritalis adeste. Plura mit-
to, te ad Volumen de Præceptis Decalogi re-
mittens, ubi plura digessi.



CAPVT XVI.

Circa externum Charitatis effe-
ctum, qui est Eleemosyna.

²⁴⁰ A^lios enumera Charitatis
effectus, alios internos, ex-
ternos alios. Interni sūt con-
placencia, desiderium, gau-
dium in bono Dei, & proxi-
mi, misericordia in proxi-
mum, quæ in compassione alienæ miserie con-
sistit: de quibus nil speciale annotandum oc-
currit. Lege D. Thom. 2. 2. qu. 27. 28. 29. & 30.
ubi eos apprimè exponit. Alij sunt effectus ex-
terni, quorum primus est generalis scilicet Be-
nificencia, quæ, ut ait Doctor Angelicus q. 31.
communiter receptus, consistit in *faciendo ali-
cui bene.* At quia dupliciter proximo facere be-
ne potes, corporaliter scilicet, & spiritualiter:
ideo Beneficencia in corporalem, & spiritua-
lem diuiditur. Corporalis Beneficencia sibi no-
men *Eleemosyna* arrogat: spiritalis vero *Corre-
ptio* vocatur. Et iuxta hanc diuisionem primo
de Eleemosyna, deinde de Correctione sermo
procedet.

²⁴⁰ De Chari-
tatis effe-
ctibus.

DUBIUM XXVII.

*An in extrema necessitate ex necessa-
sariis statui, & superfluis naturae
tenetur quis proximo
subvenire?*

241
Certareco-
lo.

Recolo ex section. 1. triplicem esse proximi necessitatem extremam, gravem, & communem: una, ex quibus facienda est eleemosyna, alia esse necessaria, alia superflua: non esse obligationem ex Charitate proximum egenum inquirendi, sed sufficere, si paratus sis ei subvenire, dummodo Praeatus non existat: obligationem ex Charitate solum esse, quando proximus necessitatem patitur alias non subleuandam. Quaesierim verò, num in extrema necessitate ex necessariis statui, & superfluis naturae teneatur quis proximo subvenire?

242
Tenetur
quidem?

Tenetur quidem. Quia alias nullum esset eleemosynae praeceptum, si pro hoc tempore non obligaret convenientia statui, quae naturae necessaria non sint, ergo non tribuere. Neque Charitati fieret satis, si bona temporaria tibi non simpliciter necessaria pro vita proximi non expenderes. Sic fere omnes Doctores cum D. Thom. 2. 2. qu. 3. 2. art. 5. in corp. Medin. de eleemosyn. qu. 3. §. verum. Valentia 2. 2. disp. 3. qu. 9. punct. 4.

243
Non tene-
tur.

Non tenetur. Quia non videtur obligan- dum esse, vitam proximi conservare cum tam graui eius detrimento, quale est fieri miserum. Et quia non obligatur arctius vitam proximi conservare, quam propriam, sed propriam non tenetur conservare cum proprii status amissione: alias omnes opes deberet in curatione alicuius infirmitatis expendere, si hac via sanandum sciret, & è contra moriturum. Et quia Reipublice utilius videtur nobilem retinere statum, quam priuatum pauperem è vitiis excedere. Ergo non tenetur quilibet nobilis, ac diues à suo statu cadere, vt vitam cuiuslibet conseruet. Ita Coninch. *disputatione vigesima septima, dubio octauo. à numero 134. Castro Palao tom. 1. tractat. 6. disputation. 2. punct. 2. numero sexto.*

244
Hanc sen-
tentiam sa-
tis probabi-
lem esse pu-
tarim.

Profecto si bona expendenda sint tuo, tuo- rumque ita necessaria, vt absque illis nulla ra- tione conservari possit status: sed necessario ab illo cadere debeas: cenfeo esse satis probabile, te non esse obligatum ea proximo particulari extremam necessitatem patienti elargiri. Non enim obstat, vitam esse bonum longe nobilioris cunctis fortunae bonis, vt tenearis omnia tua bona pro vita cuiuslibet expendere: quia si non potes ea expendere, quin tuam vitam miseram efficias, non teneris te miserum reddere, vt alium in vita conserues. Esset enim obligare te ad malum aequae graue sustinendum, quale est illud quod à proximo vitare contendis: quod nullo modo Charitas dicere potest. Imo crediderim, te non esse obligatum magnas diuitias expendere, verbi gratia, ter, vel quatuor malle aureos pro cuiuslibet priuati vita redimenda, etiam si obinde ab statu cadere non debeas. Quia illi sumptus in morali aestimatione, &

quoad Reipubl. è utilitatem pretiosior priua- ti hominis vita est. Coninch. *disputatione 27. num. 143.*

DUBIUM XXVIII.

*Extra necessitatem extremam obligaturne
quis eleemosynam facere sub graui
piaculo?*

Non obligatur. Quia Charitas quem obli- gare non potest ad subueniendum pro- ximo arctiori vinculo, quam ad subueniendum sibi: At sibi non est obligatus subuenire in graui necessitate, sed eam libenter pati propter Deum potest: ergo nec proximo tenetur. Certe si graui proximi necessitati esset quis obligatus succurrere, cum hæ necessitates sæpius occurrant, non posset filius thesaurizare, nec ad fundandam Ecclesiam, (verbi gratia,) obseruare diuitias. Sic Gabriel. in 4. distincti. 16. quest. 4. 2. conclus. 4. Medin. *C. d. de penit. tractat. 5. qu. de necess. dandi elemos.* Gerson. 2. part. al. h. b. 12. littera O. & alij plures, quos referunt Valquez opus. ul. de eleemosyn. cap. 1. dub. 3. Suarez disp. 7. sect. 3. & Coninch. disp. 27. dubio 8. numero 18. Et probabilem reputat. Bonacin. d. 3. qu. 4. punct. 6. num. 8.

Obligatur quidem, si superflua statui habeat. Secus si solum necessaria habeat statui. Quia iure gentium dominia rerum sunt introducta: credendum est, esse taliter introducta, vt quisque assumat, quæ sibi necessaria sunt, reliqua gentibus distribuatur: alia inordinata esset rerum diuisio, & contra ordinem Charitatis: ergo ex eo præcisè, quo quis habeat superflua, cogitur in pauperes distribuere. Ita Caietan. 2. 2. question. 3. 2. articul. 5. Valentia 2. 2. disputation. 3. question. 9. articul. 4. §. 2. Bannes ibi, quest. 31. articul. 5. dub. 2. Torres *disputation. 81. dubio 2.* Reginaldus libr. 4. num. 252. Lorca 2. 2. disputation. 39. numero decimo quarto, & vigesimo secundo, Bonacin. citat. num. 8.

Ego autem existimo eum obligari sub graui piaculo eleemosynam elargiri proximo grauiter indigenti ex superfluo statui præsentis. Quia Charitas illam obligat, vt proximi graue damnum evitare procurat, quando sine graui damno proprio id agere potest: ideoque si domum proximi conflagrare aspiciat, & facile, quis valeat impedire: moraliter delinquit, si non impedit: sed expendendo aliqua bona, quæ illius præsentis statui necessaria non sunt, & ex alio capite quantitatis magnæ non sunt, haud graue parietur incommodum: igitur ea expendere tenebitur. Suarez. mecum d. 7. sect. 3. m. 5. Coninch. d. 27. dub. 8. n. 125. Porro in communi necessitate pauperum obligatum eum esse crediderim eleemosynam aliquoties facere ex bonis, quæ illi necessaria non sunt ad præsentem, & futurum præsentium statum acquirendum, & conseruandum: esto sint necessaria, vt comodius illos status valeat sustinere. Quia diues habens superflua, & eleemosynam longo tempore omitteus plurimis egenis expostulantibus, graue detrimentum Reipublice infert, cū totum onus aliorum pauperum, in ipsam transferat: neque illi subsidium præstet.

præstet, cum facile possit. Neque obstat, omisionem cuiuslibet elemosynæ non esse peccatum mortale, imo nec veniale, quando voluntatem habes aliis succurrendi, & de facto aliis succurris. Quia si ea voluntate cares, & nemini intendis succurrere, proculdubio delinquis. In priori enim casu iam aliquo modo Republicæ onus alleuas, eique subsidium præstas. At in secundo Rempubliam grauas, & te inhumanum, ac durum ostentas, aliisque impietatis præbes documentum. Lege Valentiam disput. i. de vigesima septima, dubio octauo, numero 131 & Bonacinam disp. 3. question. 4. punct. 6. num. 8.

DUBIUM XXIX.

An in casibus in quibus quis obligatus est elemosynam facere: teneatur ex iustitia?

¹⁴⁸ ^{Teneatur ex iustitia.} Teneatur non solum ex Charitate, sed ex iustitia. Quia ex iure naturæ omnia erant communia ante diuisionem, iusque gentium diuisionem introduxit; sed non est credendum, diuisionem introduxisse cum violatione Charitatis: ergo cum Charitas obligat relinquere egentibus bona necessaria, iam illa bona cessant esse illius, cui iure gentium fuisse applicata: ergo manent communia, ac proinde illius, qui illis indiget. Porro iudex cogere potest habentem superflua, ut egenis succurrat, ab illoque bona tanquam iniuste detenta auferre: ergo ipse ante talem coactionem ex iustitia tenebatur. Sic Caietan. 2. 2. questione decima octaua, articulo quarto; Aragon. questione trigesima secunda, articulo quinto, Turrecremat. ad Cap. Si feneratoris, octingentesima sexta distinctione, Sarmiento libro secundo, de reddit. Ecclesiasticis, parte tertia, capite quarto, numero tertio, Dio. Thom. 2. 2. question. 118. articulo quarto, ad secundum, vocat hoc debitum legale, quod condistinguit contra morale debitum: ac proinde docet esse ex iustitia.

¹⁴⁹ ^{Non teneatur ex iustitia.} Non teneatur ex iustitia, sed ex sola Charitate. Quia proximus duplici tantum genere bonorum potest indigere ad indigentiam propulsandam, scilicet nostris actionibus personalibus, vel bonis fortunæ iam à nobis possessis. At nullum ex eiusmodi bonis tenemur ex iustitia in eius obsequium impendere, sed solum ex Charitate: ergo. Et quidem de personalibus actionibus videtur manifestum. Non enim ob necessitatem alterius amittis libertatem tibi à natura donatam, neque seruus indigentis efficiaris: sed æque liber manes, & æque dominium retines actionum, ac si nullus eis indigeret; ergo non delinquis contra iustitiam eas actiones denegando. De bonis autem iam à te possessis sic proba. Quia licet iure naturæ illa bona ante possessionem nullius essent, ideoque communia dicuntur: At semel à te accepta, & collecta, tua quidem sunt. Neque ob indigentiam alterius desinunt esse tua: quod à fortiori militat in pecuniis, vestibus, ac cibis, quæ tua, vel tuorum industria laboræque sunt comparata: ac proinde sunt fructus mat. Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

gna ex parte personales, quorum dominio priuari ob vilius indigentiam potes. Ita Nauarr. summ. cap. 14. num. 7. & 8. Turrian. 2. 2. di. pu. 82. dub. 3. Lorca secl. 6. disp. 19. num. 45. Valquez opuscul. de elemosyn. cap. 1. dub. 5. num. 17. Coninch. disp. 27. dub. 7. num. 104. Reginaldus lib. 4. num. 264. Suarius disp. 7. secl. ultim. de Charit. Bonacin. disp. 3. quasi. 4. de Charit. punct. 6. num. 29. & alij.

Cum his sentiens concesserim, ius gentium diuisionem rerum cum Charitatis violatione non introduxisse: abnego tamen, inde fieri reliquille res extra possidentis dominium; sed solum obligasse possidentem, ut eas ex Charitate egenis impertiret. Dicuntur vero fieri communes in necessitate, quia Charitas, quæ non querit quæ sua sunt, eas communes facit, ratione cuius egens potest eis uti absque vlla domino illata iniuria: dominus enim ipse in tali usu tenetur ex Charitate consentire; quod si de facto repugnet, obitare non potest, quominus egens iure sibi à Charitate concessio viatur; quia est repugnantia contra Charitatem, ac proinde nullius momenti.

²⁵⁰
Solum ex Charitate teneri, re soluo.

DUBIUM XXX.

Proximus in extrema necessitate versatur, neque habet aliunde bona, quibus sibi traditum valeat reddere, neque spem habendi illa sine magna difficultate: tenerisne ei gratis dare: satisfaciisne ei mutuum offerendo?

²⁵¹ ^{Satisfaciis mutuum.} Non teneris ei gratis dare, sed satisfaciis mutuum. Quia solum teneris necessitati proximi subuenire, & huic æque subuenis mutuo, ac donatione: Potes igitur quod malueris eligere. Et quidem facta mutatione necessitas tollitur: At sublata necessitate elemosyna non obligat: ergo. Sic Nauarr. summ. cap. 17. numer. 5. Toletus libr. 5. cap. 24. Hanc sententiam approbant grauissimi Doctores sub quadam limitatione, scilicet, ut mutuum non sit absolutum, sed conditionatum, nempe si proximus ad lautiorum fortunam deuenierit. Quia hac via satisfaciis elemosynæ præcepto, cum gratis dones, quæ proximo necessaria sunt; cui donationi non obstat grauamen impositum restituendi acceptum casu, quo pinguiorem fortunam inierit. Sic Valquez opuscul. de elemosyn. cap. 1. dub. 6. num. 54. Lessius libr. 2. cap. 16. dub. 1. num. 11.

Teneris ei gratis dare, nec satisfaciis mutuum sub obligatione absoluta, aut conditionata reddendi. Quia vel accipiens elemosynam spem habet absque magna difficultate fore, ut possit acceptum reddere, vel non si habet, iam non est re, & spe pauper, & ita poteris ei non donare, sed absolute mutuum. Si autem caret tali spe, illi obligatio absoluta imponi non potest; quia esset contra Charitatem talis impositio, cum ex Charitate teneris proximo à graui necessitate, seu difficultate liberare, si facile possis, & quia esset inutilis talis obligatio, quam ipse subire non tenetur ob opus ex Charitate.

²⁵²
Non satisfaciis mutuum.

ritate sibi debitum. Imponere autem obligationem sub conditione expectando præcisè casum fortuitum, si fortè, inquam proximus lautior fortunam resumpserit, præterquam quod avarissimi est animi, tollit libertatem, quam patres in elargienda eleemolynā recognoſcunt. Ita Valentia 2. 2. disp. 3. qu. 9. punct. 4. Palao tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 4. num. 5. Torrian 2. 2. disp. 8. dub. 6. & 7. Coninch. disp. 2. 7. dub. 9. num. 153. Bonacin. disp. 3. quæſt. 4. punct. 6. numer. 15. Suarius disp. 7. de Charitat. sect. 5. num. 2.

²⁵³ Hoc existimo probabilius esse. Quia scriptura, & Patres nomine eleemolynæ præcipue intelligunt donationem absolutam sine ullo onere, & obligatione retributionis, ut colligitur ex parabola incidentis in latrones Luc. 10. cui nulla fuit imposita obligatio reddendi acceptum: & ex modo loquendi Patrum, qui dicunt, diu iter superflua dispensantes, non bona propria, sed pauperum dispensare. Si autem pauperibus imponi posset obligatio acceptum reddendi etiam sub conditione, non bona ipsorum, sed propria diuitum dispensarentur. Ut ergo hanc obligationem excluderent, videntur illo loquendi modo usus fuisse. Igitur non poteris sub obligatione absoluta, aut conditionata ei, qui extremè indiget, & verè pauper est, succurrere.

DVBIVM XXXI.

Afficitur quis graui, vel communi necessitate: sufficitne ei ex mutuo succurrere?

²⁵⁴ Sufficit quidem. Quia huic non debetur sustentatio æque ac ei, qui extremam necessitatem patitur. Ergo quomodocumque ei subueniatur, siue gratis, siue ex mutuo fiet satis eiusmodi obligationi. Sic Lorca 2. 2. sect. 3. d. 39. num. 53.

²⁵⁵ Non sufficit. Quia ratio ob quam Dubio proximo asseruimus, in necessitate extrema te esse obligatum donatione, & non mutuo proximo succurrere est, quia erat friuola, & nulla obligatio, cui nulla aderat spes satisfaciendi: sed cum patitur quis grauem, vel communem necessitatem, tanquam vere pauper caret spe satisfaciendi acceptum in illius remedium: ergo si obligatus es, in extrema necessitate per donationem egentem subuenire, etiam in graui, vel communi obligaberis. Ita Coninch. disp. 2. 7. dub. 8. numer. 153. & 155. Suarius de Charitate disputatione septima, sectione quinta, numero septimo. Valentia 2. 2. disputatione 3. quæſtione 9. punct. 4.

²⁵⁶ Auctoris resolutio. Crediderim, idem dicendum esse in utraque necessitate, cum obligatus es proximo subuenire. Nam eleemolynæ, quæ pro graui necessitate, & speciarim quæ pro communi imperiuntur, ita leues sunt, ut ridiculum videatur, velle accipientem ad restituendum obligare, cum nulla sit spes fore, ut possit accipiens sine notabili difficultate acceptum reddere. Fareor equidem, non æquè deberi sustentationem graui, aut communi egestate preſſo, ac si extrema afficeretur, sed quia in vna, & al-

tera absolute debetur, esto in vna strictius, quam in altera: ideo asserimus, te obligatum esse in utraque necessitate constituto gratis succurrere.

DVBIVM XXXII.

In his casibus, in quibus quis debet eleemolynam mutui facere, potestne lucrum cessans in pactum deducere?

²⁵⁷ Potest profecto. Quia nō peccat contra iustitiā, cum non teneatur ex iustitiā ad mutuum. Potest quidem. Ita Bonacin. disputatione tertia, quæſtione quarta, de Charitate puncto sexto, num. 16.

²⁵⁸ Minime potest. Quia in tantum obligare quis potest mutuatarium ad lucrum cessans, in quantum lucrum licite poterat acquirere. At vigente mutuari necessitate, non poterat lucrum acquirere, tenebatur enim mutare: ergo. Ita Valquez de eleemolyn. cap. 1. dub. 6. numer. 57. Palao tom. 1. tract. 6. disputatione 2. punct. 4. numero 9.

²⁵⁹ Iudicari, nullatenus illum posse ad lucrum cessans mutuatarium obligare. At si requiras, num omittens dare eleemolynam, aut gratis, aut ex mutuo, cum ex Charitate tenetur, obligatus sit damna inde conſurgentia restituere: Rpondeo, probabilius esse, non teneri. Quia restituendi obligatio solum ex læſione iustitiæ exoritur.

DVBIVM XXXIII.

Cum certum sit, Beneficiarios teneri sub mortali eleemolynam facere, vel in alia pia opera expendere omnia, quæ ex beneficij fructibus sua congrua sustentationi supersunt: Quo Clericus est nobilior, & doctior, conueniuntne illi pro congrua sustentatione assignandum?

²⁶⁰ Recolo, in omnibus casibus, in quibus laici obligantur, obligari, & Clericos. Bona Clericorum esse in triplici differentia: patrimonialia, quæ successione obveniunt ad quæ reducuntur, quæ donatione, labore, & industria sunt acquiruntur; bona intuitu Ecclesiastici ministerij percepta, verbi gratiā, stipendia pro celebratione Missarum, pro verbi Dei predicatione, pro Sacramentorum administratione, etiam si hæc omnia ex obligatione fiant: itemque dantur pro Vicaria temporaria, & hæc quasi patrimonialia vocantur; & bona mere Ecclesiastica, nempe ex Beneficio percepta; quæ sunt annui fructus ex decimis, Capellanis, aliisq; pijs legatis Beneficio annexis. Ex bonis patrimonialibus aut quasi, nō alio titulo Clerici obligari facere eleemolynā, quā laicos. Clerici ex patrimonialibus bonis in sui sustentationem instrumentem posse ex Beneficij redditibus tantundem in usus, quos voluerint, expendere, vel

Seet. II. De Charitate, Dubia. 151

si parce viuendo, minus in sui sustentationem infumat, quam in sumere possit. Beneficiarios teneri ex redditibus Beneficij, quæ sibi supersunt, in elemosinam, vel pia opera expendere: peccareque lethaliter si ex superfluis sustentationi congruæ, in profanos vltus in graui quantitate expendat: grauem quantitatē eā esse existimari, quæ tertiam, vel quartam partem huiusmodi fructuum expendit. Congruæ sustentationi assignari posse portionem infimam, mediam & summam, sicut in pretiis rerum venalium cernimus: vt infima portio congruæ sustentationi designetur. 160. mediæ 600. summæ 700. quod si Beneficiarius aliquid inde subtraxerit, possit vt fructus industriae, ac laboris in quolibet vltus expendere, & ditandis consanguineis applicare. Ex Nauarro Lessius libro secundo capite quarto dubio sexto numero quadragesimo Molin. tractatu secundo de iust. dub. 145. Coninch disputatione vigesima septima dubio undecimo numero 177. Iam requiro, nam quo Clericus nobilior, & doctior sit, eo plus illi sit pro sustentatione congrua assignandum?

161 Non est assignandum. Quia Beneficij nisi plus fructus dantur pro competenti Beneficiarij sustentatione, quatenus beneficiarius est: ergo non possunt ex maiori nobilitate, aut doctrina crescere: ex illis enim non crescit dignitas Officij, ad cuius conservationem fructus ordinantur. Sic Lorca 2.2. sect. 3. d. 40. n. 39.

162 Plus assignandum est. Quia hæ personæ ratione suæ nobilitatis, & doctrinæ regulariter plus aliis Ecclesijs profunt tum autoritate, tum sapientia: cedit enim in vtilitatem, & honorem Ecclesiæ huiusmodi Ministros habere, quibus se ab aduersis tueri valeat. Ergo quo plus Ecclesiæ profuit, eo vberiorē ab illa sustentationē habere merentur iuxta illud 1. Tim. 3. Qui bene præ sunt presbyteri, duplici honore, id est stipendio, digni habeantur. Attendendum tamen est, ne fabrica, & ornatus Ecclesiæ ob id periclitetur. Ita Coninch d. 27. d. 11. n. 149. Molin. tr. 2. d. 145. Nauar. in apolog. de reddit. q. 1. monito 8. n. 7.

163 Hanc sententiam tenendam esse iudico. Quia sic est in praxi receptum satisque colligitur ex cap. De multa, de prebend. Vbi Innoc. III. cum Concil. Lateran. statuit in pluralitate Beneficiorum posse cum valde nobilibus, seu notabiliter doctis dispensari: inutiles autem dispensatio esset, si plura alij in suam congruam sustentationem infumere non possent. Constat Trid. sess. 24. cap. 17. Et Extrauag. Execrabilis, de prebend.

D V B I V M XXXIV.

An Beneficiarij sint domini reddituum, qui sibi applicantur?

164 Non sunt domini, sed dispensatores. Quia tempore nascētis Ecclesiæ vsque ad tempus Simplicij, qui anno 471. gubernauit Ecclesiam, Clerici in communi vivebant, nullumque Beneficiorum reddituum habuerē

dominium, sed Episcopus omnia administrabat, & ex illis sibi, Clericis, & fabricæ, quæ iudicabat necessaria, concedebat, reliqua expēdebat in pauperes, sed quia in hac partitione nō ita fideliter Episcopi nonnulli procedebant, multaque ex Clericis, fabricæ, & pauperibus querimonie excitarentur: ideo Simplicius c. de reddit. 1. q. 2. in quatuor partes fructus diuisit. Primam Pontifici, secundam Clericis pro meriti qualitate, tertiam fabricæ quartam pauperibus assignauit. Postea vero temporis successu alie diuisiones pro locorum commoditate fuerē factæ, de quibus Gratian. in cap. Constitutum, 16. q. 1. Ex hac varietate factum est, vt fere in nulla Ecclesia pars pauperibus designata reperitur intacta, sed potius cum alijs partibus permixta: Ergo Clerici, non habent absolute reddituum Beneficij dominium, sed eorum sunt dispensatores, saltem circa portionem illam, quæ ad pauperes spectat, & cum fructibus illis assignatis permixta existit. Sic Nauar. quæstion. 2. de reddit. fere per totum, alios citans.

Domini sunt fructuum, qui sibi sunt pro congrua sustentatione assignati, non dispensatores. Quia portio illa eis assignata in præsentium, & retributionem iusti laboris impendit. Et quia inutilis esset præfata diuisio, si dominium illi non acquirerent. Et quia diuisio rerum communium, & illarum assignatio dominium transfert iuxta leg. 1. Cod. Communia vtriusque indicit. Ita Sarmiento part. 4. de reddit. cap. 1. Soto lib. 10. de iust. quæstion. 4. articulo. 3. Conar. ad cap. Cum in Officiis de testam. numero 3. Valquez de reddit. cap. 1. Paragraph. 2. numero 17. Molin. tr. 2. d. 243. Coninch d. 27. dub. 11. numero 185. Valent. 2.2. dub. 10. q. 5. par. 7.

Hoc omnino asserendum esse reor. Quod quidem colligo ex cap. Vnico de Clericis non resid. lib. 6. & ex Trident. sess. 22. cap. 1. vbi expresse dicitur, Absentes nullo modo fructus, & prouentus faciant suos, neque illorum dominium acquirant. Supponit ergo Concilium interequentes fructus facere suos, & dominium acquirere: alias ridicula esset priuatio domini facta à Concilio, si absentes alias illius essent incapaces.

D V B I V M XXXV.

Clericus tenetur ex iustitia, quæ ex sua, suæque familie congrua sustentatione supersunt, egenis exhibere?

165 Quæstio celebris est, an Clericus teneatur ex iustitia sub onere restituendi, & quæ sibi, suæque familie ex congrua sustentatione supersunt, pauperibus largiri. Stat enim optime dominium fructuum illorum acquirere posse, & hanc obligationem habere. Quia potuit Clericis ab Ecclesia hoc dominium sub onere & obligatione concedi?

Profecto tenetur Clericus ex iustitia. Quia Ecclesia potuit Episcopis, & Clericis fructus Beneficij

Tenetur ex iustitia. Beneficij concedere in tam ampla magnitudine, quæ regulariter præmium, seu mercedem laboris excedat, cum hoc onere & obligatione, ut si ex illis aliquid superfluum congruè sustentationi nõ necessarium, pauperibus impendatur. Ergo credendum est, ita factum esse, tum quia hæc dispositio fauorabilior erat egenis: tum quia S. Patres hoc satis indicant, dñ Clericos fructus Beneficiorum male expendentes fures vocitant, ac latrones. *Cap. Precipimus, cap. Ex his cap. Habebat. cap. Conuenienter. cap. Ordinamus, dist. 42. & alibi.* Ergo Beneficiarij ex iustitia obligantur, superflua in pia opera expendere, & contra agentes ad restitutionem tenentur, si aliunde bona habeant. Sic pluribus relatis. Nauar. *cap. ultimo decimo sexto questione prima in question. secund. monito septimo & alij plures, quos referunt Molina de primog. libro secundo capite decimo numero quinquagesimo secundo & noster Molina tractatu secundo de iust. dub. 144. Couar. cap. Cum in Officiis de testam. num. 2.*

268 Non tenentur ex iustitia. Non tenentur ex iustitia. Quia non est imponenda obligatio iustitiæ sine manifesto textu, vel ratione: At nullus est textus, nec efficax ratio hanc obligationem perluadens. Ergo. Quod nullus sit textus inde ostendo: nam licet in præfatis decretis Clerici profane expendentes bona, raptores, & homicidæ pauperum vocitentur, id per exaggerationem dictum est, & de secularibus auaris id ipsum Patres testantur, quos certum est, ex iustitia obligatos non esse superflua in pauperes expendere. Quod vero nulla adsit ratio efficax obligationem ex iustitia perluadens, sic probetur. Hæc enim obligatio debet oriri ex eo, quod hi fructus dati sint à fidelibus vel ab Ecclesia sub hoc onere, & obligatione: nulli autem constat sic data esse à populo; sed potius constat absolute esse donata in Ministri sustentationem, & ut ipse Deo feruentius famuletur, maioriq; cum splendore procedat & populo honorabilior existat. Ita Valent. 2. 2. *disput. decima questione tertia puncto septimo Lessi. libro secundo capite quarto dubio sexto numer. 43. Coninch. disputatione 7. dubio undecimo numer. 185. Sarmien. ad cap. si priuatum 12. questione prima & alibi. Sotus L. 10. de iust. q. 4. a. 3. & 4. uterque Molina citatus.*

269 Hanc sententiam his temporibus confirmo. His temporibus hæc sententia communior est, & mihi plane probabilior. Quod si scriptum sit, *Episcopus Religiosus habetne dominium reddituum Beneficij eodem modo quo Episcopi seculares?* Episcopus Religiosus habetne dominium reddituum Beneficij eodem modo quo Episcopi seculares?

D V B I V M XXXVI.

An Pensionarius teneatur sicut Beneficiarius quæ ex congrua sustentatione de Ecclesiastica pensionis fructibus supersunt pauperibus erogare?

270 Non tenetur. Quia licet bona illa sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionem propter bonum Ecclesiæ, & in pensionarij alimentum, status autem pensionarij (si alias beneficiarius non sit) non obligat specialiter. Sic Valquez *Opusc. de elemos. c. 4. n. 21. allegans, se nullum vidisse Auctorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc ad vberiores vel alias elemosynas, quam sæculares.*

271 Tenetur quidem. Quia hæc obligatio est redditibus Beneficiorum annexa. Ergo ad Tenetur quoscumque transeunt, debent cum hoc onere, quatenus transeunt argum. *c. Literis, de pignor. c. Pastorali, de decim. Porro remedium ordinatum fauorabilius extraordinario est, & Glof. penult. Clement. 1. de offic. ordin. At redditus pensionum est extraordinarius; redditus vero Beneficiorum est ordinarius: si ergo redditus Beneficiorum hoc onus subit, non debet pensionum redditus ab eo eximi. Ita Nauar. in app. question. 1. monit. 80. & in opus. de spoliis Cleric. Paragraph. 1. numero sexto & Parag. septimo numer. 7. ubi pensionarios Beneficiarios æquiparat. Sed latius id probat tract. de reddit. quest. 1. monit. 32.*

272 Ego autem existimo duplicem esse pensionem ex Beneficij fructibus concessam, aliam sæcularem, aliam Ecclesiasticam. De pensione sæculari opinionem P. Valquez procedere astringit: de pensione vero Ecclesiastica Nauarri sententiam. Ecclesiastica pensio est quasi quoddam Beneficium, illiusque naturam imitatur; unde quidquid obligationis beneficiario imponitur ex Beneficij fructibus, imponi etiam pensionario debet. Mecum Molina tractat. 2. de iust. d. 145. Pensio autem sæcularis sæcularium fructuum naturam induit. Unde pensionarios huiusmodi minime ad vberiores elemosynas gerendam, quam alios sæculares obligare.

D V B I V M XXXVII.

Episcopus Religiosus habetne dominium reddituum Beneficij eodem modo quo Episcopi seculares?

273 Scio: Religiosos assumptos ad aliquod Beneficium sæculare, vel Regulare nullum reddituum Beneficij dominium habere, sed sicut penes Monasterium existere, ipsique administrationem solum ad vsus pios concedi, & non aliter. Quocirca si aliquid in profanos insuamant vsus, lethaler delinquent, tum contra paupertatis, votum tum contra iustitiam, & alienatio

Sec. II. De Charitate, Dubia 153

natio facta nulla erit. De Religiosis autem ad Episcopalem statum assumptis requisierim num sicut alij seculares Episcopi redditum Beneficij dominium habeant.

274
Dominium
et Episcopi
seculares
habeant.

Dominium eodem modo ac Episcopi seculares habent. Quia in cap. Statutum. 18. q. 1. dicitur: Statutum est, & secundum Sanctos Patres a Synodo confirmatum est, ut Monachus, quem electio Canonica a iugo Regule Monastica absoluit, & Sacra ordinatio de Monacho, Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hereditatem potest iure vendicandi potestatem habeat. In quibus verbis videtur clare exprimi habere dominium patens hereditatis. Primum quia dicitur esse legitimus hæres. Si autem Monasterium, vel Ecclesia dominium acquireret, ipsum, vel ipsa, & non ille legitimus hæres diceretur, sicut dicitur de Monacho existente in Monasterio. Secundo, quia ei conceditur potestas vindicandi hereditatem paternam, non Ecclesie: vindicare enim, sibi que acquirere, proprium est veri domini leg. In rem actio. ff. de rei vindicac. Sic Sotus l. 7. de iust. q. 4. a. 1. Valq. 1. 2. q. 96. a. 4. d. 163. c. 8. nu. 91. & 104. Micha. Medi. de Sac. homin. contin. l. 5. c. 26. Angl. florib. p. 2. q. 2. de voto. a. 2. p. 3. diffical. dub. 5. Palaci. 4. diff. 38. d. 1. Gratian. regul. 320. n. 4.

275
Non habent
dominium et
seculares
Episcopi.

Non habet dominium sicut Episcopi seculares, sed manet voto paupertatis strictus. Quia Religiosus factus Episcopus verus Religiosus existit, alias non obligaretur habitum sue Religionis gestare: sed de essentia Religionis non solum est votum castitatis, sed etiam paupertatis, & obedientie cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum. sine. Ergo hic factus Episcopus omnia hæc vota retinet. Ita D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 8. Caiet. ibi. Valent. 2. 2. d. 10. q. 3. p. 8. Conar. c. 1. de testam. n. 18. Molin. de primog. l. 2. c. 10. n. 28. Coninch d. 27. dub. 1. n. 100. Banch. pluribus relatis, l. 6. Decal. c. 6. nu. 8. Lessli. l. 2. c. 4. dub. 5. nu. 29. Sarmien. de reddit. p. 1. c. 1. n. 10. Nauar. l. de reddit. Eccles. q. 1. moni. 11. n. 1. & 2.

276
Ab hac co-
muni sen-
tentia non
recedo.

Ab hac communi quidem sententia non recedam. Quia vota Religiosorum in tantum dispensari poterant, quatenus Episcopali muneri obstarēt: sed abdicatio dominij huic muneri non obstat, concessa libera facultate ad ministrandi Episcopales redditus, reliquaque bona in quolibet decentes usus: Ergo dicendum non est in voto paupertatis esse dispensatos. Fateor, equidem, Episcopum esse legitimum heredem (vti ex cap. Statutum vidimus) sibi que vendicare hereditatem: non tamen pro se, sed pro sua Ecclesia: sicut existens in Monasterio ius successionis habet, & hereditatem sibi vindicat, non pro se, sed pro Monasterio, iuxta l. Deo nobis, § 6. §. Hoc etiam. C. de Episc. & Cleric.

DVBIVM XXXVIII.

An qui graui necessitate premittur,
possit iniurio domino aliena
surripere?

277
Certe sup-
ponitur.

Certum mihi, in extrema necessitate posse, si alia via succurrere sibi non valet.

Quia quis habet strictissimum ius propriam vitam defendendi, & consequenter assumendi, quæ ad hanc defensionem sunt necessaria. Dices vero, à quo assumit, habet obligationem ea ipsi donandi, vnde non est præsumendus iniurius, vel saltem non erit rationabiliter. Dixi si alia via sibi succurrere non valet. Nam si rogando amicaliter diuitem, vt succurrat, valeat sibi providere nullatenus licebit ab eo bona clam auferre. Quia nemini licet, aliena surripere cum vti propria per donationem habere potest. Coninch d. 27. dub. 110. numer. 158. Lessli. l. 2. c. 12. d. 12. n. 66. Quæsierim autem num graui necessitate pressus, possit, iniurio domino, aliena surripere?

278
Non potest.

Non potest. Quia pauperi non licet à diuite surripere, nisi in quantum diues obligatus est illi dare: alias esset bellum ex vtraque parte iniuriarum: sed diues obligatus non est huic pauperi patienti graui necessitati dare, sed potest, eo omisso alium eligere. Ergo. Sic D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. Caiet. ibi. Sotus l. 5. de iust. q. 3. a. 4. Conar. reg. peccatum. p. 2. §. 1. nu. 3. Suar. d. 7. de char. sect. 5. n. 8. Fauet. c. Si quis 3. de furtis, vbi imponitur poenitentia ei, qui in graui necessitate furatur.

279
Potest si alia via sibi subuenire non valet,

Potest si alia via sibi subuenire non valet, clā à diuite necessaria surripere. Quia iniuriæ est iniuria obligatio ex charitate succurrendi cuiuslibet grauem necessitatem patienti, sicut patienti extremam, si commodè possit. Ergo pauper accipiens non peccat. Ita Nauar. sum. c. 17. nu. 5. Nauarra lib. 2. de res. cap. 1. num. 374. Lessli. l. 2. cap. 12. dub. 12. num. 71. Valq. de elem. cap. 1. dub. 7. numer. 60. Coninch disput. 27. dub. 10. num. 162.

280
Probabilius hoc censeo.

Probabilius hoc censeo, præfatæ si existant conditiones. At si de facto plures patientes grauem necessitatem concurrant, & cogniti sint à diuite quibus omnibus satisfacere non potest ex bonis, quæ sibi supersunt, sed solum vni, vel alteri: crediderim, tunc non posse pauperem clam surripere, si ipsi non constet, nolle aliis diuitem elemosynam impertire. At in tali casu diues non tenetur, ei elemosynam concedere, sed potest eam aliis seruire: Ergo. Neque obstat, patientem extremam necessitatem posse à diuite clam, necessaria surripere, etiam si plures alij simili necessitate pressi concurrant, & diues nequeat omnibus providere. Quia ius conferuendi vitam, nimis quidem exemptum, hanc tribuit facultatem, neque vllus conueni rationabiliter potest. Fateor tamen ob hanc rationem etiam in graui necessitate, id esse probabile. Nam cum diues omnibus illis diuitum teneatur providere, qui præuenit accipiendo, iure à natura sibi concessio videtur vti. Porro cap. Si quis textus loquitur, quando furtum commissum est propter necessitatem communem: non tamen vrgentem, & grauem. Lessli. libro secundo capite duodecimo dub. 12. sine. Coninch disp. 27. dub. 10. & alij.

DVBIVM

DVBIUM XXXIX.

Rem alienam quis ante necessitatem ex delicto furti, vel rapine habet. eamque, superueniente necessitate consumit: ad pinguiorem fortunam veniens, teneturne similem domino restituere?

281
Certa praemitto.

Si rem alienam ante necessitatem possideas & in necessitate constitutus, illam consumas, an à restitutione exculeris, sicut si tunc accipiens rem illam consumpsisses? In hac re est certum, si rem possideas & tibi necessariam habebas ex contractu dominium transferente qualis est mutuum, & venditio, teneri te eam restituere. Quia tunc non consumis alienum, sed proprium, & obligatio ex contractu reddendi rem, perseverat. Coninch *disputatione vigesima septima dub. 10. numer. 167. Valquez de elemosyn. capite primo dubio octavo* Si autem ex contractu non transferente dominium habebas, verbi gratia, ex commodato, vel deposito: censeo probabilius, te non esse obligatum restituere. Quia non teneris ex re accepta, cum nihil illius superfit, ut suppono: neque ex iniusta acceptione, cum nulla fuerit: neque etiam ex contractu prius facto; hic enim solum obligare potest, ad reddendum rem, quando culpa depositarij periit, sicut si absque illius culpa, ut in presenti contingit. Azor. l. 12. c. 8. q. 7. Torres 2. 2. d. 82. dub. 7. Lessi. l. 2. c. 16. dub. 1. Quid verò si quis rem alienam ante necessitatem ex furti aut rapine habet, eamque, superueniente necessitate, consumat: teneturne ad pinguiorem fortunam veniens, similem domino restituere?

282
Tenetur, & similis dominum restituere.

Tenetur quidem. Quia esto illam licite in necessitate consumat: obligatio ante necessitatem contracta ex iniusta acceptione non perit, sed suspenditur. Sic Valq. *de elemos. c. 1. d. 8. n. 68. Bonac. d. 3. q. 4. de char. pun. 6. num. 16. Lorca 2. 2. d. 38. numer. 14. & alij plures apud ipsos.*

283
Non tenetur.

Non tenetur. Quia sic consumens rem, videtur satisfacere obligationi restituendi ante contractum, cum rem consumat sicuti dominus tenetur velle consumi, si apud ipsum extaret. Ita Petr. Navar. *de rest. l. 4. c. 4. n. 24. & 25. Castro Palao 10. 1. r. 6. d. 2. pun. 10. num. 3. Coninch d. 27. dub. 10. n. 166.*

284
Cum his opinor.

Cum his opinor, doctrinamque roboro. Quia ab onere restituendi rem liberatur iniquus rector, si absque eius culpa periit, res furto ablata, eodem modo apud dominum existens peritura, ut probat Lessi. l. 2. c. 23. dub. 15. Atqui si res illa apud dominum existeret, eodem modo periret, ac periit apud iniquum detentorem, cum ipse dominus teneretur, illi in extrema necessitate existenti donare. Ergo.

DVBIUM XL.

Elemosyna data pauperi simulate transfertur in illum dominum?

Transfert quidem. Quia si error non praecedit circa substantiam actus, sed circa accidentia, non reddit actum ipso iure irritum sed solum irritandum pro voluntate decepti. Sed talis videtur esse huiusmodi error, substantia enim elemosynae non petit veram paupertatem, sed sufficit existimata impendi; quia non minus apud Deum valet donatio ficta vero pauperi, quam ficto, si fictio proflus ignoratur. Sic Lessi. lib. 1. de iust. cap. 18. dub. ultim. numer. 132. Coninch d. 27. dub. 6. Sotus lib. 9. de iust. q. 7. artic. 3. fine. Addunt Lessius & Coninch consequenter accipientem sic elemosynam non esse obligatum directe eam restituere; quia illius habet dominium, obligatum tamen esse deceptionem tollere; quia iniuste alium decepti, & ad sibi donandum per fraudem induxit: ut sublata deceptione, donans liber maneat ad confirmandam donationem, vel ad illam repetendam.

Non transfert dominium, sed nulla est huiusmodi elemosyna, & pauper fictus obligatus est acceptam restituere. Quia error hic est substantialis, & reddit actum quoad substantiam innoluntarium. Ergo & nullum. Antecedens probatur. Quia elemosyna essentialiter respicit miseriae revelationem: Ergo si nulla est miseria, quae releveretur, nulla esse potest elemosyna. Ita Navar. *sum. c. 17. n. 107. Medi. C. de restit. quastion. 124. Addrian. in 4. r. de restit. Scot. in 4. dist. 15. q. 2. a. 3. Angel. v. Restitutio 1. Caiet. sum. v. Restitutio, c. ultim. casu 4. Valq. de elemos. cap. 3. dub. ultim. numer. 12. & 15. & alij.*

Hanc sententiam probabiliorē esse existimo. Nam licet quoad Deum donatio illa habeat meritum, quia ad hanc finem sufficit esse existimata miseria, Deus habiliorem enim solum donantis intentionem spectat: in re illa donatio non est vera elemosyna, cum in re non fit ulla miseriae relevatio. Quod quidem exemplo adorantis Hostiam non consecratam, existimatis esse consecratam, illustro. Ille enim externus cultus meritum adorationis, & Religionis habet: in re tamen non est vera Religio, cum Hostia illa nihil Religione dignum existat.

DVBIUM XLI.

Qui fingens pauperem elemosynam accepit debetne eam ei, qui dedit, restituere?

Vidimus, elemosynam datam ficto pauperi, nullam esse, & accipientem obligatum.

Seçt. II. De Charitate, Dubia. 155

tum esse sic acceptum restituere. Cuiam vero hæc restitutio sit facienda, requiro? Debet sic accipiens elemosynam, eam ei qui dedit, restituere, præcipue si res sit magni momenti. Quia id fuit velut ex furto acceptum: quod autem ex furto acquiritur, domino est reddendum. Sic Lessi. lib. 2. capit. 18. dub. ult. numer. 132. Sotus lib. 9. de iust. quæst. 7. artic. 3. & alij.

189
Restituere non debet ei qui dedit, sed pauperi.

Non debet accipiens sic acceptum restituere ei, qui dedit, sed executioni mandatur voluntas donantis: hæc enim facit, à se dominum abdicare, pauperibus tribuere; quæ voluntas ob simulatam paupertatem non potuit effectum obtinere. Ita Nauar. summ. capit. 17. numer. 107. Caiet. summ. verb. Restitutio, capit. ultim. capit. casu 4. Medin. Cod. de restit. quæst. 12. 4.

190
Restituere non debet ei qui dedit, sed pauperi.

Ego autem crediderim cum Valsio de elemosyn. capit. 3. dub. ultim. numer. 24. vtrique restitui posse, & domino & vero pauperi, cui simulatus inops maluerit. Domino quidem, quia illius est pauperi, quia dum non constat voluntatem retractasse, censetur, in priori voluntate persistere, quæ fuit, velle re illam à se abdicare, & pauperibus tribuere. Ergo pauper factus reddens id veris pauperibus voluntatem domini exequitur, & iuxta eius beneplacitum de re disponit.

DUBIUM XLII.

Regulares Mendicantes possuntne ab Ordinario impediri, nè pro suis Conuentibus elemosynas petant?

191
Nonnulla premittit.

Elemosynarum quætores, quia falsas Reliquias, indulgentias, ac facultates publicabant, indecenterque cum non leui Christianæ Reipublicæ detrimento vivebant, in cap. Cum ex eo, de penit. & remis. & Clement. 2. eodem tit. statuitur, ne absque facultate Sedis Apostolicæ vel Diocesani Episcopi hoc munus gerant. Et Trident. sess. 5. c. 1. decreuit, ne quætores elemosynarum, qui Quæstarij vultu dicuntur, cuiuscumque conditionis existant, nullo modo, nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, privilegijs quicquid non obstantibus, opportunis remedijs omnino arceantur. At quia hæc prohibitio sufficiens non fuit, ut illorū malitia retunderetur, sess. 1. cap. 9. Concilium statuit, ut post hac in quibuscumque Christianæ Religionis locis eorum nomen, atque usus penitus, aboleatur neque ad Officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus privilegijs Ecclesiæ, Monasterijs, hospitalibus, pijs locis & quibusvis cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Iam requiro, vtrū Regulares Mendicantes possint ab Ordinario impediri, ne pro suis Conuentibus elemosynas petant?

192

Possunt quidem. Quia in præfato decreto

reuocantur omnia priuilegia tam Monasterijs, quam singularibus personis cuiuscumque conditionis existant, concessa. Sic nonnulli Theologi.

293
Non possunt.

Minimè possunt. Quia à Sede Apostolica constituuntur Mendicantes. Ergo nequid eis mendicatio ab Ordinariis prohiberi. Et quia non sibi, (vt quæstuarij illi) sed communitati elemosynas quærent, cum proprium habere non possint: ergo non sunt proprie quætores à Concilio prohibiti. Ita Nauar. lib. 3. de Regular. capit. 79. numer. 4. Manuel. tom. 2. qq. Regular. quæstion. 57. artic. 7. Barbosa 3. p. alleg. 109. numer. 7.

294
Hoc tenendum existimo.

Omnino hoc tenendum esse defendo. Quia Sacra Concilij Congregatio declarauit anno 1621. Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diocesis, ubi habent Conuentus, elemosynas quærant, sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existant, queritate voluerint, tenet suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere. Quod si comperit fuerit licentiam à suis Prælati habere, etiam extra præfata loca impediri non possunt.

CAPVT XVII.

Circa externum Charitatis effectum, qui est fraterna Correctio.

DUBIUM XLIII.

An præceptum fraternæ Correctionis oriatur ex Charitate Dei, & proximi?



295
Nonnulla suppono.

VPPONO, aliam esse correctionem fraternam aliam iuridicam: fraternam quidem, quia primo & per se bonum proximi intendimus: iuridicam, qua per se bonum aliorum, qui per peccatum vnius scandalizantur, & bonum commune spectamus. Fraterna correctio potest à patre in filium à filio in patrem: ab inferiore in superiorem, à superiore in inferiore exerceri. Iudicialis vero non potest esse ab alio, quam à Superiore potestatem iurisdictionis habente. In præfati sermo est præcipue de fraterna correctione. De qua præceptum esse, nemini Catholico potest esse dubium. Eccles. 19. Corripe amicum, corripe proximum. Traditur expresse in cap. Tam Sacerdotes. 24. quæstion. 3. Hoc autem præceptum affirmatiuum est, ac proinde solum obligat, cum aliquæ circumstantiæ interueniunt. Tres sunt potissimæ. Prima, vt proximus in grani spiritali necessitate sit constitutus. Secunda, vt possimus ei absque grani nostro, nostrorumve incommodo subuenire. Tertia